



## **Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online**

**Danskernes Historie Online** er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

### **Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor**

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

### **Ophavsret**

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

### **Links**

Slægtsforskeres Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

PUBLICUM EXAMEN ANNIVERSARIUM

IN

SCHOLA FRIDERICIBURGENSE

HABENDUM

INDICIT

M. BENEDICTUS BENDTSEN,

*RECTOR.*

---

Disputatur de natatione  
inprimis apud Romanos.


---

---

H A U N I A E 1 8 0 9 .

Typis Directoris JOH. FRID. SCHULTZII,

Aulæ et Universitatis Typographi.



**I**ntant dies, vertente anno, quibus scholæ nostræ alumni annua profectuum specimina in publico examine edituri sunt. Quod tempus cum ad solennia scholarum ambitione discipulorum, spe doctorum, gravitate auditorum semper relatam fuit, publico etiam programme indici denuntiarique solet. Fungimur jam hoc munere; ante autem quam dies ipsos examinis præfiniamus, more majorum præfari pauca debemus, quæ a rebus nostris non abhorreant. Itaque eum scholæ nostræ statum, qui jam obtinet, intuentibus, præsertim quatenus ab antiqua rerum scholasticarum facie differat melior potiorque, nunc quidem in mentem incidit, cum plures discipulorum scholæ nostræ avidè et cum egregio successu artem natan- di amplexi sint, de natatione et imprimis quidem apud Romanos disputare. Est autem argumentum ad scribendum, quod antiquo- rum nemo copiose persecutus sit; itaque cum undique conquirenda essent, quæ ad institutum nostrum pertinerent, in tenui re literaria nostra non licuit rem, ut volueramus, exsequi. Quare te, L. B. rogatum volumus, ut si nos immemores aut ignaros haud pau-

corum huc forte pertinentium offenderis, æqui bonique consulas; bibliothecas enim excutere nec tempus nec locus indulsit.

Primum de utilitate hujus artis si crederem quemquam dubitare posse, hujus inscitiam refellere facile esset. Natationem laudibus jam extollit Plato <sup>1)</sup>, quod *homines e periculis maximis liberet, eosque ad audendum fortiores et animosiores reddat*: Aristoteles <sup>2)</sup>, quod *sanitati corporis adeo expediat*, assentientibus medicis, inprimis Galeno. Nos autem hæc mittimus; ceterum inspiciant, qui velint, quomodo hanc artem gravissimis rationibus Locke, Rousseau, Büsch, Hufeland, Bernardi, Guts-muths <sup>3)</sup>, Engelstoft <sup>4)</sup> commendaverint. Optime etiam de patria nostra meriti sunt gravissimi viri, qui, ut artem nandi omni, qua fieri possit, ratione foveant, augeant, ornent, certamina solennia natandi, positis præmiis, instituerunt, non sine felicissimo, ut nuper compertum fuit, successu, quem in posterum lætiorem fore optamus et auguramur. Grato animo agnoscimus etiam merita editoris ephemeridum *Dagen*, qui, ut alia taceam, mortes hominum infeliciter undis raptorum enarrando non tantum, quam necessaria & utilis sit hæc ars, ob oculos omnium ponit, verum etiam merita eximia societatis humanissimæ: *For de Druknedes Redning* præclare illustrat.

Na-

<sup>1)</sup> in *Gorgia*.

<sup>2)</sup> in *Problematis* passim.

<sup>3)</sup> *Gymnastik für die Jugend*. pag. 494. 509.

<sup>4)</sup> *Scandinavisk Museum* 1802. 1 Hefte pag. 68.

Natatio est antiquissima. Ipsa natura homines ad natandum quasi provocare videtur, neque silvestribus hominibus deest animus. Primo lavatum et piscatum aquas petebant, mox exemplo animalium natabant. Facilis ars, uti Franklinio visum, vel *αυτοδιδάκτοις*, quos pericula interdum natare cogebant, improviso in aquas delapsos, aut temere undis se credere ausos, ne lapide ictus piscis vi fluminis abriperetur. Tentatum id pluries a pluribus; tandem parta peritia <sup>1</sup>). Ita natationem natura svasit, necessitas docuit, usus excoluit. Quare ex itinerariis recentiorum patet, fere omnes barbaras gentes natando exercitatissimas esse, tum viros, tum fæminas. Hoc Vaillantius de Hottentottis, de aliis Cookius <sup>2</sup>). Neque minus apud omnes antiquos populos lavationes et natationes in usu fuisse, novimus. De Judæis, præter exemplum Bathsebæ, videantur loca 2 Reg. 22, 58. Jes. 25, 11. Joh. 5, 2. Homerus Od. ε Ulyssem in mari natantem, Leucothææ *κρηδέμνω* sublevatum narrat; (quod de fasciculo junceo subligato interpretatus fuerit quis.) Plinius Ichthyophagos describit natantes sicut maris animalia <sup>3</sup>). Germanis, quamvis sera hieme, nandi non patientia tantum, sed studium erat <sup>4</sup>). Tacitus Batavis, Romanorum sociis et auxiliaribus tantam natandi peritiam attribuit, ut inter natan-

1) Bastholm Efterretninger om Mennesket i dets vilde og raa Tilstand. 5 Deel p. 8.

2) *ibid.* 2 Deel. p. 399.

3) Hist. Nat. 6. 29.

4) Pompon. Mela de situ orbis. 3, 3.

tandum et se et arma et eqvos regant <sup>1)</sup>. Hispani etiam veteres nandi peritissimi erant, Livioque teste, cum Hannibal Rhodanum transiret, sine ulla mole, in utres vestimentis coniectis, ipsi cætris suppositis incubantes flumen tranavere <sup>2)</sup>. Et apud majores nostros natatio (*Sund-færi*) maximi semper æstimabatur, multisque modis exercebatur; sæpe etiam certamina natantium solennia celebrabantur, ipsique reges hac arte excellabant <sup>3)</sup>.

Apud Græcos Lacedæmoniorum pueros Eurotas fluvius ad futuræ militiæ patientiam indurabat; in eodem etiam Lacænæ natabant <sup>4)</sup>. Artem etiam urinandi sub aqua callebant; a Thucydide <sup>5)</sup> κολυμβηταὶ ὑδροῦσι Lacedæmonii laudantur civibus suis, qui in insula Sphacteria ab Atheniensibus clauderentur, alimenta in utribus adferentes. Præ ceteris Græcis laudat Herodotus Scylliam, natatorem & urinatorem egregium, qui 80 stadia ( $2\frac{1}{2}$  milliaria Danica) natando emensus sit <sup>6)</sup>; pinxit hunc postea Androbius anchoras Persicæ classis præscindentem <sup>7)</sup>. Qvis autem nescit proverbium <sup>8)</sup> Atheniensium: μήτε νεῖν μήτε γράμματα ἐπιζῆσαι? Unde tamen hoc effatum in proverbium tam tritum abierit, mihi non liquet; natatio

<sup>1)</sup> Histor. Lib. 4, 12. & in vita Agricolaë Cap. 18.

<sup>2)</sup> Liv. 21, 5. 27.

<sup>3)</sup> Engelstoft l. c.

<sup>4)</sup> Cic. Quæst. Tusc. 2, 15.

<sup>5)</sup> Hist. de bello Pelop. Lib. 4, 26.

<sup>6)</sup> Herod. Lib. 8, 8.

<sup>7)</sup> Hist. Nat. 35, 11.

<sup>8)</sup> Erasmi adagia pag. 103.

tio enim apud Græcos ad locum dignitatemque artis non evecta est, nihilque erat ad ceteras artes gymnasticas, unde (quod mireris) neque in ludis Olympicis instituebatur, licet ad fluvium Alpheum certamina peragerentur.

Transimus ad Romanos, quibus quotidiana & domestica erat natatio; potissima, quæ hic pertinere videantur, nostrum jam erit colligere. Ut a primis repetam, Itali antiqui, durum genus, severaque disciplina nutriti, quæ in Sabinis diutissime viguit, infantes recens natos Germanorum more ad flumina deferebant, sævoque gelu durabant & undis. Ita a teneris aquæ assveti quomodo postea aquas reformidarent? Hinc Metabus, pater Camillæ, ob invidiam regno Privernatensi pulsus spumantem fluvium natando facile trajicit, filiola tergo aut humeris illigata. Turnus in Tiberim saltu se immittit, & cum omnibus armis fluvium tranat. His si non pro veris, at pro verorum tamen imitationibus accipere fas est, unde, quæ homines suæ ætatis facerent, quæ prisca majores fecissent, Virgilio pingente apparet <sup>1)</sup>.

Verum missis incertis rumoribus aut poeticis fabulis, ad certiora veniamus. Certa fides facto, narrante Livio, post exactos Roma reges, natavisse agmen virginum. Nam Cloelia, cum inter alias virgines obses Porsenæ data esset, frustrata custodes e castris hostium aufugit, et dux ceterarum facta inter tela Etruscorum Tiberim tranavit, sospitesque omnes Romam ad propinquos restituit <sup>2)</sup>:

La-

<sup>1)</sup> AENEID. 9, 604. 815. II, 548.

<sup>2)</sup> Liv. Lib. 3, 10. 13.

Latitudo Tiberis ad summum hodie non ultra 385 pedes extenditur, ad Pontem AElīi modo 300; certum tamen est, antiquis temporibus aqvosiorem & latioreni fuisse fluvium et inundationibus frequentem <sup>1)</sup>. Constat omnīno hoc exemplo, natationem Romæ ad omnes pertinuisse. Eodem etiam anno Horatius Cocles, ut alter Turnus, armatus in Tiberim desiluit, multisqve superincidentibus telis incolumis ad suos tranavit. Et sub imperatoribus etiam fæminas natavisse, confirmatur exemplo Agrippinæ, quæ, cum dissolutio navigii ab Aniceto compositi parum processisset, in mare præcipitata natando evasit <sup>2)</sup>.

Existit jam quæstio, *ubi, quomodo, quibus præceptoribus* artem natandi Romani condiscerent? Quæ omnia, ut suis notissima, explanare supersederunt Latini autores. Nos partim ratiocinando, partim ea delibando, in quæ legentes incidimus, quantum fieri potest, aliquantum lucis rei addere tentabimus.

Jam primum omnium per se intelligitur, antiquissimos Italos in lacubus & fluviis, natura duce, periculum virium fecisse, et natationi quoquo modo advevisse. In ipsa urbe Roma vetustissimis temporibus lacus quidam huic usui destinatus erat, *Piscina publica*, unde nomen traxit duodecima urbis regio. Ad quam, autore Festo, et natatum et alioqui exercitationis causa veniebat populus. Ecce locum antiquissimum, quo natationem discebant exercebantque Romani; postea autem utrum hic lacus exsiccatus,

an

1) Geographie par Mentelle & Malte Brun. Vol. VIII. pag. 318. 354.

2) Svet. in Nerone Cap. 34. Tacit. Annal. 14, 5.



an derivatus sit, parum constat; ædificia tamen eo loco posita fuisse, constat <sup>1)</sup>).

Cum autem Romæ lavationes adeo frequentes essent, tum sanitatis causa ex præceptis medicorum, tum oblectationis, tum etiam necessitatis post sudorem et pulverem exercitationum, per se patet, lavationes occasionem natandi dedisse. Si Publio Victori credimus, fuerunt Romæ 1352 lacus, 254 piscinæ, quarum numerum Onuphrius Panvinius ad 329 auxit. Pertinebant quidem piscinæ ad pisces conservandos hortosque irrigandos, simul tamen ad lavandum & natandum, artemque natandi ibi imprimis perdidicisse Romanos, censet Adlerus <sup>2)</sup>).

Accedunt occasiones natandi, quas balnea suppeditabant ante cœnam adhibita <sup>3)</sup>. Poterant nempe in balneis natare, sive vellet in aqua tepida sive frigida. Anceps tamen quæstio est de forma interiore balneorum; Græcorum balnea Romani admodum exsuperabant exornando, saltem Cæsarium tempore, adeo ut incredibile sit, quanta mollitiæ, quibus deliciis, quanto sumtu lavarent Romani. Veterum quidem nemo Thermas Titi aut Antoninianas nobis accurate descripsit, de magnificentia autem balneorum Romæ queritur jam Seneca <sup>4)</sup>); extra urbem tamen etiam satis ampla et

sum-

1) Adler Beschreibung der Stadt Rom pag. 333.

2) ibid. pag. 93.

3) Seneca de brev. vitæ Cap. 12 reprehendit otiosos, quos, quando lavari debeant, *quando natare, quando cœnare*, alius admonet.

4) Ep. 86.

sumtuosa ædificabantur; inde conjectura duci potest ad magnificentiam Thermarum imperatorum. Balnea Pliniana, quorum descriptio exstat, cum lautitia et apparatu satis magno ædificata erant; nos excerpimus, quæ ad rem nostram pertinent, licet quædam sint obscuriora. In villa Laurentina, mari admodum vicina, erat *cella frigidaria spatiosa et effusa, cujus in contrariis parietibus duo baptisteria velut ejecta sinuantur, abunde capacia, si innare in proximo cogites*. Intelligendus est sine dubio natationem in calida piscina significare, in quam aquæ e cella frigidaria forte per fistulas derivabantur; statim enim addit: *cohæret calida piscina mirifice, ex qua natantes mare adspiciunt*<sup>1)</sup>. Epp. 5, 6. describit aliam villam, Tuscos suos. *Apodyterium balinei laxum et hilare excipit cella frigidaria, in qua baptisterium amplum atque opacum. Si natare latius aut tepidius velis, in area piscina est, in proximo puteus, ex quo possis rursus adstringi, si pœnitcat teporis*<sup>2)</sup> Erant nempe piscinæ vel calidæ vel frigidæ, ut

con-

1) Epp. 2, 17. p. 193 ed. Gierig, qui hanc piscinam in area fuisse putat, videlicet, quia mare inde adspiceretur. Nos potius in ipso balneo, præeunte Seneca Ep. 86. *blattaria balnea vocant, si qua non ita aptata sunt, ut totius diei solem fenestris amplissimis recipiant, nisi et lavantur simul et colorantur, nisi ex solio agros et maria prospiciant*.

2) Est hic nonnihil obscuri. Si conjecturæ locus esset, pro *latius* mallet *alsius* cum Cicerone de balneo fratris. Epp. ad. Qv. fr. 3, 1. Forte etiam interpungendum esset: *opacum, si natare alsius, aut (si) tepidius velis* &c. Tepor aquæ de sole derivandus est, cum piscina in area esset; aquæ sub terram in balnea per quinarias deductæ admodum

constat ex historia Neronis, qui calidis piscinis, et tempore æstivo nivatis utebatur <sup>1)</sup>. De baptisterio, labro permagno, e ligno aut marmore, aliove genere lapidis, in quo lavandi et natandi gratia se mergebant, videatur Hieronymus Mercurialis de arte gymnastica p. 44. 52. Cella caldaria offerebat occasionem, si quis vellet, natandi in tepido. Mæccenas omnium primus dicitur in urbe aquarum calidarum natatoria instituisse <sup>2)</sup>. Nero sine dubio primus Romæ balnea gymnasiis junxit, Græcorum morem secutus, cum scilicet post peracta certamina gymnica lavatione & natatione opus esset.

Sed satis multa de natatione in balneis, quæ cum sine periculo fieri posset, imprimis mollioribus grata fuisse debuit, aptissimaque omnino ad prima natationis rudimenta ponenda. Etiam Bajis natatum fuisse, neque id sine periculo morum bonæque famæ, ex variis locis Ciceronis aliorumque patet <sup>3)</sup>.

Inprimis autem Tiberis fluvius ultro Romanis nataturis opportunitatem loci offerebat. Itaque in isto flumine, forte post prima in balneis posita tirocinia, natandi ars revera discebatur. Adjacebat campus Martius, aptissimus omnibus aliis exercitationibus locus, quibus finitis, mos erat in Tiberim desilire, corpusque ceteris

B 2

γυμ-

dum frigidæ erant, imprimis ex aqua Virgine, e Tiberi non ita frigidæ. Senec. Ep. 83. explicante Cilano in Römische Alterthümer 4 Theil p. 907.

<sup>1)</sup> Sveton. in Ner. Cap. 27.

<sup>2)</sup> Hieron. Mercur. Lib. 3. Cap. 14. pag. 241.

<sup>3)</sup> Cic. Epp. ad Fam. 9, 2. pro Cælio Cap. 15. 20. Senec. ep. 51. Pro-  
pert. I, 11. 27.

γυμνάσμαισι fractum, sudore & pulvere plenum, in undis Tiberinis abluere & refrigerare. Hæc exercitia licet ad universam juventutem Romanorum pertinerent, tamen militaris juventus in eadem imprimis incubuit. Vegetius ordinem militiæ exponens, hanc disciplinam veterum Romanorum omnibus tironibus præscribit his verbis: *Natandi usum æstivis mensibus omnis æqualiter debet tiro condiscere; non enim pontibus semper flumina transeuntur, sed et cedens et inseqvens natare cogitur frequenter exercitus, ideoque Romani veteres Campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo juvenus post exercitium armorum sudorem pulveremque dilueret, ac lassitudinem cursus natandi labore deponeret. Non solum autem pedites, sed et equites ipsosque equos vel lixas ad natandum exercere percommodum est, ne quid imperitis, cum necessitas incumbat, eveniat* <sup>1)</sup>. Similiter quando in ipsis castris belloque versantur, nihil remittendum censet, monens: *seu mare seu fluvius vicinus est sedibus, æstivo tempore ad natandum cogendi sunt omnes* <sup>2)</sup>. Quin hiemali tempore, si nives tantum pluviamque cessarent, ne intermissa consuetudo et animos militum et corpora debilitaret, milites in campo exercendos esse, graviter monet, enumerans, ut quotidiani laboris usum: *silvam cædere, portare onera, transilire fossas, natare in mari sive fluminibus* <sup>3)</sup>. Ita Scipio Africanus minor, corruptum  
licen-

1) Vegetius de re militari Lib. 1. Cap. 10.

2) Lib. 3. Cap. 4.

3) Lib. 2. Cap. 23.

licentia luxuriaque Romanum exercitum gravi disciplina correxit, ita ut frigora et imbres pati vadaque fluminum pedibus trajicere advesceret miles <sup>1)</sup>. Classariis imprimis natationem necessariam esse, cum homines congressione navali et aquis et flammis perimantur, porro docet Vegetius <sup>2)</sup>, confirmat sua narratione Hirtius de bello Alex. Cap. 18-22.

Cum jam antiqua Romanorum disciplina natatio adeo in pretio esset militique perutilis, nihil mirum est, si plurimos tum ducum tum militum, qui natando præstarent, cum laude apud scriptores commemoratos videmus. Longum est enumerare exempla, quædam tamen apposuisse non abs re erit. Inter imperatores primus Cæsar nandi peritissimus, (etiam in hoc Alexandro major, quem tamen etiam, detracta veste, in vortices fluvii Hydaspis sese projicere paratum fuisse, autor est Curtius <sup>3)</sup> quando agmen duxit, sæpe anteibat, *si flumina morarentur nando trajiciens, vel in nixus inflatis utribus, ut persæpe nuntios de se prævenerit.* (Hi utres aut inflabantur follibus, ut a Cæsare factum est, aut stramentis inferciebantur, ut ab Alexandro jam factum erat cum exercitu Oxum fluvium transituro <sup>4)</sup>. Alexandria cum desilisset in mare, *nando per 200 passus evasit ad proximam navem, elata læva, ne libelli, quos tenebat, madescerent; paludamentum mordi-*

*cus*

1) Julii Frontin. Strateg. Lib. 4. Cap. 1.

2) Veget. Lib. 5. Cap. 14.

3) Q. Curtius de rebus Alex. M. Lib. 9. Cap. 4.

4) ibid. Lib. 7. Cap. 5.

*cus trahens, ne spolio potiretur hostis* <sup>1)</sup>. Exemplum prorsus singulare, unde patet, quam bene et perite nataverint Romani. Cæsar corpus ita composuerat, ut, immota læva manu dextroque pede, lævo pede dextraque manu connixus nataverit, ut luculenter rem explicat Bernardi <sup>2)</sup>. Post Cæsarem huc etiam trahunt exemplum Augusti, de quo tamen infra videbimus. De Trajano Plinius refert, *cum valentissimo quoque sodalium eum certavisse fluctus frangere* <sup>3)</sup>. Quæ licet de gubernandis navibus præsertim accipiuntur, tamen ex iis, quæ per oppositionem de Domitiano subjungit, etiam de natatione intelligi commode possunt, quam inter imperatorias artes diserte retulit Claudianus <sup>4)</sup>.

— — — *fluvios tu protere curru*

*Horrentes glacie, liquidos tu scinde natatu.*

Addamus de Sertorio, *cui miratur historia Rhodanum arma & loriam retinenti transnatatum esse* <sup>5)</sup>. Narrantur etiam singulorum militum, quin ipsorum exercituum transnatationes; succurrit memorare nuntium, obsessis Cyzicenis a Lucullo missum, qui, *per medias hostium naves, utre suspensus et pedibus iter adgubernans, videntibus procul quasi marina pistrix evasit, fiduciamque oppidanis resistendi dedit* <sup>6)</sup>. Exercitus Cæsaris in Gallia

1) Sveton. in Cæs. Cap. 57. 64.

2) Bernardi Schwimmkunst 2 Th. pag. 96.

3) Panegy. Cap. 82.

4) de 4 consul. Honorii v. 346.

5) Amnian. Marcellin. Lib. 25. Cap. 22. in Juliano.

6) Florus de Gest. Rom. Lib. 3. Cap. 5.

lia fluvium Ligerim, in Britannia, Thamesim ita superavit, ut brachia modo atque humeri ad sustinenda arma liberi ab aqua esse possent <sup>1)</sup>. Itaque in exhortatione Lentuli Romanis in re militari longe postponuntur milites Parthorum, quia *non frangunt nando violenti vorticis undam* <sup>2)</sup>. Etiam Romanis militibus inter nives imbresque hiemales flumina tranatandi animos non defuisse, ex iis, quæ et ante et post proelium ad Trebiam facta sunt, apparet <sup>3)</sup>, licet plures, quod necesse erat, frigoribus, lassitudine et vulneribus confecti perirent, uti etiam Romanis ad Alliam fuis accidit, quos vulnera, pavor, graves lorice, aliaque tegmina degravabant. E numero virorum doctorum sufficiat nominasse philosophum Senecam, quia navigationem circa Puteolos difficilem enarrans inquit: *memor artificii mei veteris mitto me in mare, quomodo psycholutram decet, gausapatus. Quæ putas me passum, dum per aspera erepo, dum viam quæro, dum facio?* <sup>4)</sup>. Trebatium, magni nominis jurisconsultum, qui a Cicerone <sup>5)</sup> *studiosissimus homo natandi* vocatur; idem aliis, ut natarent, autor est <sup>6)</sup>.

Quare cum non solum mos domesticus esset Romanis natare, sed etiam res per se laudabilis et in bello utilissima, nihil mirum, si, qui in hac arte rudes & ignavi essent, ignominia notarentur, et  
pro

1) Cæs. de bello Gall. Lib. 5, 18. 7, 56.

2) Lucan. Phars. Lib. 8. v. 374. Herodot. lib. 8. Cap. 89.

3) Liv. Lib. 21, 54. 56.

4) Senec. Ep. 54.

5) Cic. ad Fam. 7, 10.

6) Horat. Sat. Lib. 2, 1. 8.

pro effeminatis haberentur, qui flavum Tiberim tangere timerent <sup>1</sup>). Itaque Caligulae imperatori vitio datum est, quod natate nesciret, ad cetera docilis, (erat autem Threx, auriga, cantor, saltator <sup>2</sup>). Domitiani molliem graviter increpat Plinius, quod undas et fluvios adeo timeret, ut vel ad ictus remorum turpi formidine horresceret, neque nisi navigium ab alia navi traheretur, per Danubium & Rhenum navigaret, non sine irrisione barbarorum, quibus moris erat eadem illa flumina, nunc gelu rigentia, nunc liquida ac deferentia lustrare navigiis nandoque superare <sup>3</sup>). E contra adolescentibus non solum magnam laudem et fortitudinis famam, verum etiam favorem insignem feminarum conciliabat, si quis ceteris citius Tusco denataret alveo <sup>4</sup>), placidamque niveo pectore pellet aquam <sup>5</sup>), Ideoque Clodia, soror Clodii a Milone occisi, hortos ad Tiberim habuit, diligenter quidem eo loco praeparatos, quo omnis juvenus natandi causa veniret <sup>6</sup>).

Si, quo modo et quibus tandem sub praecipitoribus natationem apud Romanos discerent pueri, quaeras, id quidem, ut notissimum, a scriptoribus Romanis non est proditum. Itaque quae aut conjectamus verosimilia, aut quae modo innuunt scriptores, ea hic in medium proferimus. Primo quidem cum post Horatium in

pro-

<sup>1</sup>) Horat. Carm. Lib. 1, 8. 8.

<sup>2</sup>) Sveton. in Caligula Cap. 54.

<sup>3</sup>) Paneg. Cap. 82.

<sup>4</sup>) Horat. Carm. Lib. 3. Od. 7, 28. 12, 6.

<sup>5</sup>) Tibull. Lib. I, 4. 12.

<sup>6</sup>) Cic. pro Caelio Cap. 15.



proverbium abierit *sine cortice nare*, vel sine Acronis testimonio per se patet, pueros prima natationis tirocinia posuisse, corticibus et suberibus ventri subligatis; edoctos autem postea hæc removisse; etiam subijciebatur iis interdum indumentum e scirpō junceo factum ut e Plauti Aulularia Act. 4. Scen. 1, 9. discimus

*Quasi pueris, qui nare discunt, scirpea inducitur ratis*

*Qui laborent minus, facilius ut nent & moveant manus.*

Mireris autem Plinium, diligentissimum conqvisitorem, in Hist. Nat. de suberibus juncisque disserentem, de his omnino tacere, cum tamen de usu eorundem plura alia habeat; transfertur etiam levitas corticis ad alia, ut illud *καρφέτερος φελλῶν*<sup>1)</sup>, *ἀβάπτιστος φελλὸς ὡς*<sup>2)</sup>. Nam Græci natantes etiam corticibus utebantur. Apud Lucianum<sup>3)</sup> in narratione de amicis Euthydico et Damone, ad Zaccynthum naufragium passis, Damon viribus validior amicum, in mari cum ipsis vestibus fluitantem et prope mersum, nudus sustinet; addit autor, nautas *φελλὸς πολλὰς ἀφείναι αὐτοῖς καὶ τῶν κοντῶν τινὰς, ὡς ἐπὶ τέτων ἀπονήξαιτο*; natantes etiam *φελλοῖς τισὶ περιπεσόντας ἀνέχειν ἐπὶ τέτων ἑαυτὸς*<sup>4)</sup>.

Quamvis ut fieri solet, impetus naturæ pueros animosos in iacus ducat, et ad natandum quoquo modo adjuvet, fuisse tamen apud

1) Horat. Carm. Lib. 3. Od. 9, 22.

2) Pindar. Pyth. 2, 146.

3) In Dial. Toxaris sive Amicitia.

4) Bernardi tamen hanc rationem hasque suppetias, non sine multa specie veri, improbat. l. c. pag. 13.

apud Romanos, qui artem natandi profiterentur aliosque docerent, non est veri absimile, inprimis cum fuerint, qui artem natandi literis mandarent <sup>1)</sup>. Si de militibus erudiendis cogites, cum *Campidoctores* <sup>2)</sup> essent, qui omnia exercitia gymnastica, quin ipsos bellicos clamores, docerent <sup>3)</sup>, quidni etiam natationem, cui tamen suæ regulæ, cautiones, compendia esse debent. Credimus autoritate Vegetii, natationem, quam militibus adeo necessariam existimat, etiam a militibus frequentissime fuisse exercitam et quidem sub auspiciis præfecti legionis. Neque tamen invenimus, animadversum esse in tirones circa natationem negligentiores, (quod propter frequentissimum a pueris natationis usum sine dubio haud necesse fuit), cum contra multis exemplis constat, pœnas iis inflictas fuisse, qui in aliis exercitiis militaribus sibi defuissent <sup>4)</sup>.

Ceterum patres apud Romanos, cum ipsi natare scirent, quæ didicerant, etiam filios docuisse, satis constat. Cato filium a prima infantia fovit educavitque; ipse omnia eum docuit, etiam natare. Imperatorem Augustum nepotes Cajum et Lucium *litteras*  
*et*

1) Ovid. Lib. Trist. 2, 486.

2) Lamprid. in Alex. Sev. Cap. 52.

3) Veget. Lib. I, 1. 10. 2, 23. 3, 4. 7.

4) Veget. Lib. I. Cap. 13. *Milites, qui parum in prolusione sub Campidoctoribus profecerant, pro frumento hordeum accipere cogebantur, nec antea iis in tritico reddebatur annona, quam sub præsentia præfecti legionis, experimentis datis, ostendissent, se omnia, quæ erant in militari arte, complesse.*

*et natare* docuisse, communis opinio fert <sup>1)</sup>. Videtur ergo natatio ad disciplinam domesticam pertinuisse. *Natanti manum protrudere* <sup>2)</sup>, timido et mergenti, dicitur sine dubio de doctore aut adjutore; *χρησας ὀρέγην* <sup>3)</sup> de natante, perituro, ni succurratur. Natantes subligari sive campestri quodam usos fuisse, est satis consentaneum, nusquam tamen legi. Nataturos prius moderate se unxisse, et frictione corpora præcalfecisse, autor est Antyllus medicus <sup>4)</sup>. Poterant huc vocari loca Horatii de unctis natantibus <sup>5)</sup>, licet cum Mitscherlichio etiam cogitari possit de reliquis exercitiis campestribus, quæ præcesserant, et quæ uncti peragebant.

C 2

Cer-

<sup>1)</sup> Sveton. in Aug. Cap. 64. *Natate* est constans lectio in MSS. *Notare* intulit Lipsius, probb. Burmanno, Ernestio, Wolfio, *quod videretur abhorrens, Augustum cum liberis natasse in Tiberi; quod imbecilio & maculoso corpore esset* (Cap. 80.), *quod notare postea ab ipso Svetonio explicaretur de imitatione chirographi*. Sed ne sic quidem lectionem antiquam omnino improbaverim. Verba Svetonii: *litteras & natate aliaque rudimenta* docuit, videntur significare, *litteras et natate* omnino diversas res esse, conjunctas tanquam ex trito illo proverbio. Poterat natatio institui in piscinis balneorum. Etiam Svetonius Cap. 83. Augustum post civilia bella, missis campestribus armorum eorumque exercitationibus, ad pilam, solliculumque et cursum descendisse, quæ quidem exercitia lavationem & natationem commodum præcedebant, narrat.

<sup>2)</sup> Lucan. ad Pisonem. v. 51.

<sup>3)</sup> Lucian. l. c.

<sup>4)</sup> Hieron. Merc. Lib. 3. Cap. 14. p. 240. qui etiam ex Aristotele monet, *melius in mari, quam in fluvio natari, diutiusque ibi moram trahi*.

<sup>5)</sup> Horat. Carm. 3, 12. Sat. Lib. 2, 1. 7.

Certamina natatorum publica apud Romanos instituta fuisse, non invenio. Fuisse tamen nonnullos, qui delectati hac arte insignem præ ceteris peritiam adepti sint, nemini dubium esse potest; fuisse Romæ urinatores, quibus cum piscatoribus commune collegium esset, vel ex inscriptionibus agud Gruterum videmus <sup>1)</sup>; unde etiam adducor ad credendum, ludos piscatorios, de quibus nihil certi scimus, non tam piscando in Tiberi, quam potius varia arte urinando, cum delectatione spectatorum, celebrata fuisse.

In Romanorum coloniis et apud provinciales etiam natatio solennis erat. De colonia Hipponensi in Africa Plinius <sup>2)</sup>: *Omnis hic ætas natandi studio tenetur, maxime pueri; his gloria et virtus altissime provehi; victor ille, qui longissime, ut litus, ita simul nantes reliquit*; addit historiam de delphino, cui puer ceteris audentior insiliret, et ab animali mansveto ferretur et referretur. Massiliæ fuisse egregios urinatores in prælio Cæsarianorum navali cum Massiliensibus, visum est <sup>3)</sup>.

Deleto imperio Romanorum, cum barbari Italiam occupavissent, quis porro quærat antiquos Romanorum mores? Neque tamen in terra litorosa omnino periisse natandi studium, docet Bernardi <sup>4)</sup>.

Fon-

<sup>1)</sup> Cilano Röm. Alterthümer. 4 Th. p. 836.

<sup>2)</sup> Epp. 9, 33.

<sup>3)</sup> Lucan. Phars. lib. 3. v. 716.

<sup>4)</sup> Juvat hic narrationem de summo natatore et colymbeta Nicolao Sici-liensi; quem populares, contracto nomine et addito piscis vocabulo,

Fontes et capita aquarum Italis antiquis sacra erant, certo numini aut consecrata aut habitata; in iis adeo natare nefas. Itaque Nero infamiam contraxit, quia fontem aquæ Marciae, ad urbem deductæ, nando inceserat, videbaturque potus sacros et carimoniam loci, corpore loto, polluisse <sup>1)</sup>. In quibusdam aquis nec navigare licuit, ut in lacu Vadimonis <sup>2)</sup>; in aliis, præsertim fluminibus, certi termini erant sacri et profani; prope scaturiginem sanctitas erat maxima, unde quo longius discederetur, minuebatur religio. Ita in Clitumno fluvio Umbriæ, in parte superiore fontique vicina tantum navigare, infra autem etiam natare concessum erat <sup>3)</sup>.

Hæc de natatione Romanorum. Quod felix faustumque sit, incipimus jam in Dania natationi justum pretium statuere, virtutem

Pisce-Colas appellabant, qui vel in ipsam Charybdim se immergere ausus fuit. Hic tanta a puero natandi consuetudine mari diu noctuque immoratus est, ut, si aliqua elaboretur dies, qua natando non fuisset exercitatus, corde animoque angeretur quam plurimum. Hoc itaque quotidiano exercitamento tantam vim roburque fuerat assecutus, ut quinquaginta et amplius stadia perpetuo natatu præterlaberetur, dies noctesque integras, inter maritimos indesinenter fluctus, nullo procellarum respectu versatus. Occursabat non raro navibus ibique perbenigne et comiter convivatus in fluctus resiliit. Tandem ab Alfonso rege aureo craterè invitatus, ut denuo in Charybdim se demergeret, unde jam semel feliciter eluctatus fuerat, inde non iterum reversus est: an voragine absorptus, an a monstris marinis discerptus? Sic autem anonymus Sinæ et Europ. Cap. 4. Hoffmanni Lexic. Univ. 3 Tom. p. 268.

1) Tacit. Annal. 14, 22.

2) Plin. Epp. 8, 20.

3) ibid. ep. 8.

temque majorum sequi, a quibus etiam in hoc degeneravimus. Incipiendum autem est a pueris; nam in teneris consvescere multum est. O bene factum, si fieri aliquando possit, ut alumnis scholarum contingat natate sub idoneo doctore. SUPREMIS REI SCHOLASTICÆ IN DANIA MODERATORIBUS, quæ sunt sapientia, hæc curæ cordique esse, satis scimus, qui, ut grati testamur, nostrorum discipulorum ad natandum magistro & duci *Joh. J. F. Goos* stipendia nuper auxerint. Læti vidimus ipsi, quam bene sub duce tam strenuo et indefesso alumnorum, qui nunc sunt, viginti quatuor profecerint, nonnulli etiam cum insigni laude, tum late natandi, tum sub aquis urinandi. Ceteros, ne proficerent, hoc anno detinuit partim infirma valetudo et febres, tum pavor, tum etiam voluntas parentum; pars tamen aquas tetigerunt. Cum autem certo scimus, nos in posterum annum adjumenta rerum gerendarum habituros esse plura, confidimus etiam reliquis discipulis, ut, aliorum laudabili exemplo excitati, et literas et natate discant.

---

Cujus causa hæc prolusimus, examen publicum in schola nostra consensu SCHOLARCHARUM habentium iis diebus eoque ordine, qui proximis his pagillis indicatur, jam indicimus, officiosissime rogantes, ut adesse velint auditores, qui rebus nostris bene cupiant.

---

## Den offentlige Examen i Friderichsborgs lærde Skole holdes saaledes:

---

Mandagen d. 16 October.

Formiddag.

8-12. Latin. 3 Classe.

Eftermiddag.

2-3½. Dansk Stiil.	}	2 Classe.
3½-5. Arithmetik.		

Tirsdagen d. 17 October.

Formiddag.

8-10. Dansk Stiil.	}	3 Classe.
10-12. Geographie.		

Eftermiddag.

2-5. Latin. 1 Classe.

Onsdagen d. 18 October.

Formiddag.

8-10. Fransk.	}	2 Classe.
10-12. Historie.		

Eftermiddag.

2-3½. Calligraphie.	}	1 Classe.
3½-5. Naturhistorie.		

Torsdagen d. 19 October.

Formiddag.

8-10. Latinsk Stiil.	}	3 Classe.
10-12. Tysk.		

Eftermiddag.

2-5. Latin. 2 Classe.

Fredagen d. 20 October.

Formiddag.

8-10. Latinsk Version	}	3 Classe.
10-12. Tegning.		

Eftermiddag.

2-3½. Tegning.	}	1 Classe.
3½-5. Arithmetik.		

Löverdagen d. 21 October.

Formiddag.

8-10. Fransk Stiil.	}	3 Classe.
10-12. Geometrie.		

Eftermiddag.

2-3½. Calligraphie.	}	2 Classe.
3½-5. Religion.		

Man-

## Mandagen d. 23 October.

## Formiddag.

8-10.	Latinsk Stil.	} 2 Classe.
10-12.	Geographie.	

## Eftermiddag.

2-3½.	Dansk.	} 1 Classe.
3½-5.	Religion.	

## Tirsdagen d. 24 October.

## Formiddag.

8-12.	Græsk.	3 Classe.
-------	--------	-----------

## Eftermiddag.

2-5.	Historiske Opgaver.	3 Classe.
------	---------------------	-----------

## Onsdagen d. 25 October.

## Formiddag.

8 9½.	Hebraisk.	} 3 Classe.
9½-12.	Historie.	

## Eftermiddag.

2-5.	Græsk.	2 Classe.
------	--------	-----------

## Torsdagen d. 26 October.

## Formiddag.

8-10.	Historie.	} 1 Classe.
10-12.	Geographie.	

## Eftermiddag.

2-5.	Religion.	3 Classe.
------	-----------	-----------

## Fredagen d. 27 October.

## Formiddag.

8-10.	Arithmetik.	} 3 Classe.
10-12.	Declamation.	

## Eftermiddag.

2-3½.	Tegning.	} 2 Classe.
3½-5.	Geometrie.	

Desuden uddeles Character for Syömning i alle Classer.